

quolibet symbolo, si dixerint, vel recitaverint etiam centum dies indulgentiarum: nec pro non quolibet psalterio (idest rosario), aut corona quindecim decadam B. Mariæ Virginis super illis integre per eodem Christifideles, per se ipsos, aut cum socio, vel familiari, qui eandem indulgentiam consequatur, dicto, vel recitato, septem annos, & totidem quadragenas.

Sanctissimus Clemens noster Clemens XI. Pontifex maximus in suo brevi, quod incipit: De salute Gregis Dominici: data 25. Septembris 1714. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus confessis, & sacra Communionis refectis, ac pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum coronam S. Birgittæ, dummodo dicit saltem quinque decadam, recitaverint, semel in anno, die per unumquemque Christi fidelem eligenda, plenariam indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus.

Ad lucranda hujusmodi indulgentias requiritur, ut coronæ à PP. Superioribus monasteriorum, seu ab aliis Religiosis Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittæ ad id specialiter deputatis benedicantur.

DECRETUM

Sacra Congregatio indulgentiæ & sacr. reliquis præposita die 26. Novembris 1714. censuit permitti posse impressionem presentis summarii indulgentiarum concensarum coronis, quæ vocant S. Birgittæ, addita declaratione, quod omnes aliæ indulgentiæ, quæ in presentis summario expresse non continentur, sunt ut apocryphe, aut nullæ, aut à Sanctissimo Domino nostro Clemente XI. revocate per supradictum breve datum die 22. Sept. 1714.

Prohibet insuper eadem Sac. Congr. ne hujusmodi coronæ vendantur, aut alteri commoventur, & si secus fiat, declarat supradictas indulgentias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti. Datum die 4. Dec. 1714. L. Card. Pius Præfatus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM

Quo summario indulgentiarum Regularibus Ordinibus Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum, nonnullis contentis indulgentiæ a quæsitum, damnatur & prohibetur.

Quamvis indulgentiæ omnes pro portigentibus minus adjuvantes non semel ab apostolica sede, signanter vero à S. Pio V. constit. 30. quæ incipit: Etsi Dominici Gregis: dat. 6. idus Februarii anno 1567. revocate fuerint, quæstiones de damnati, nonnulli tamen interdum doctores ea, quæ non oportet, indulgentias ad quæstum evulgare præsumunt, quapropter Sacra Congregatio indulgentiæ, sacrisque reliquis præposita, huic malo occurrere cupiens, summarium quoddam, cui titulus: Breve summario delle principali grazie, ed indulgentie concesse alli Religiosi dell'Ordine della Santissima Trinità della redenzione degli schiavi, delle quali godono tutti quelli, che portano il scapulario, ovvero abitino, & visiteranno le chiese, & capelle d' dett' Ordine, &c. impressum Neapoli apud Hyacinthum Pittante anno 1703. ubi nonnullæ indulgentiæ ad quæstum continentur, die 28. Januar. labentis anni 1716. sub penis in indice librorum prohibitorum contentis, damnandum censuit, insimul declarando, confraternitates à superioribus Ordinibus Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum institutas, nullis aliis indulgentiis gaudere, nisi illis, quæ expresse continentur in eorum summario, alias nempe die 31. Januarii anni 1676. ab eadem Sacra Congregatione recognito, atque approbato, & deinde Romæ typis rev. Cameræ Apostolicæ impresso anno 1682. Quibus sanctissimo Domino nostro per me Secretarium relatis, Sanctitas sua sententiam Sac. Congregat. probavit, & executioni mandari jussit. Datum die 21. Martii 1716. L. Card. Pius Præfatus. Raphael Cosmus de Hieronymis Sec.

Die, mense, & anno quibus supradictum decretum offitum, & publicatum fuit ad valvas Curie Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Jo. Baptistam de Capellis SS. D. N. PP. Cursorem: Bartholomæum de Cammillis Mag. Cur. &c.

Quo declaratur, necessariam esse delationem scapularii ad lucranda indulgentias concessas sodalibus confraternitatum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, redemptionis captivorum.

In Sacra Congregatione indulgentiæ, sacrisque reliquis præposita habita die 28. Apr. labentis anni 1716. relatis precibus P. Joannis à S. Francisco procuratoris generalis fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum exalcatorem nuncupatorum congregationis Hispaniæ humiliter postulantis declarari, an sodales confraternitatum sui Ordinis loco scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panis vialbi frustulum, cui parvula crux rubri, & cereulei coloris acu intexta est, vestis assumunt deferentes, lucrari valeant indulgentias concessas illis, qui scapularium deferunt; eminentissimi Patres declararunt, non lucrari. Datum die 27. April. 1716. L. Cardinalis Pius Præfatus. Raphael Cosmus de Hieronymis Sec.

DECRETUM

Quo declaratur indulgentiam, pro feris sextis mensis Martii dari solitam, comprehendi sub clausula Volumus autem, &c. quæ in brevibus apostolicis apponi consuevit.

Ne contra veterem, & probatam in ecclesia consuetudinem, indulgentiarum numero nimis aucto, ecclesiastica disciplina evenerit, sæpius in brevibus apponi consuevit clausula illa: Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam qualibet aevi die visitantibus, aliæ indulgentiæ perpetua, vel ad tempus nondum elapsa præstata, concessa fuerit, presentibus literæ nullæ sint. Cum autem alias pro eisdem clausula explicatio supplicatum fuerit; Sac. Congreg. indulgentiæ, sacrisque reliquis præposita declaravit, ea nullatenus comprehendere altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut confraternitatibus, principibus, & capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut litantias, aliasque hujusmodi recitantibus, de iis, qui christianam doctrinam erudiant, vel alios erudiant, & qui sanctissimi Eucharistiæ sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum inersint, neque stationum Urbis, & septem altarium indulgentias ad instar septem altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque decem quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum si alia indulgentiæ si ve plenariæ, si vel plenariæ in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam, vel aliquod ejus altare, seu capellam visitantibus eodem die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in literis apostolicis mentio, has literas ob dictam clausulam esse protus irritas, ac nullas. Ut expresse habetur in decreto ab eadem Sacra Congregatione desuper edito die 23. Junii anni 1673. Postea tamen eadem Sacra Congregatio delatum fuit, non paucos esse, qui prædictum decretum non recte intelligentes sibi suaderent, quod in aliqua ecclesia jam concessa reperuntur indulgentiæ, quæ pro feris sextis mensis Martii dari solent, & postea in eadem ecclesia alia indulgentia concedatur cum appositione in brevi sumptuosa clausula Volumus autem, &c. Indulgentiæ, quæ postremo loco data est, valida sit. Quapropter, ut omnis imposterum erroris occasio auferatur, eadem Sacra Congregatio habita die 18. Aprilis anni 1716. declaravit indulgentiam ultimo loca prædicta concessam ob sæpe dictam clausulam Volumus autem &c. hæreri apostolicis insertam, esse nullam. Datum die 11. Septembris 1716. L. Card. Pius Præfatus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Cum vero ex frequenti concessione indulgentiarum pro ipsis feriis sextis Martii seu Quadragesimæ frequens pariter sequatur nullitas reliquorum brevium, quæ de stylo eum restrictis postea expediuntur: idcirco eadem Sac. Congregat. re maturius pensata, ad tollendas quascumque dubietates ac brevium nullitates, quibus Christifideles quandoque decipi possent, die 9. Februar. 1745. censuit hujusmodi indulgentias feriarum sextarum mensis Martii seu Quadragesimæ excipiendas esse, ita ut alias quælibet impediæ nequeant, ac propterea præfato elenco indulgentiarum exceptarum die 23. Junii 1676. ab eadem Sacra Congregatione edito, addendas esse. De quibus facta per me inscriptum Secretarium die 13. ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacre Congregationis approbando benigne annuit. R. C. Card. de Hieronymis Præfatus. A. M. Erba Proton. Apost. Sec.

Ita Carolus Maria Perusinus in chronolog. Seraph. tom. 3. part. 1. ad capitul. general. 83. fol. 471. Sicut ergo indulgentiæ stationum Urbis, septem altarium &c. non invalidant alias indulgentias, sive ante, sive post illas, impetratas, sic nec indulgentiæ feriarum sextarum mensis Martii, quia per præfatum decretum prioribus æquiparatae sunt, & in eorum elencum repositæ. Vid. Minderer part. 2. confer. 5. num. 243.

DECRETUM

Quo summario quoddam indulgentiarum Regularibus Ordinibus Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum christianorum concessarum, ut continens quamplurimas falsas indulgentias prohibetur, ejusque usus interdicitur.

Decretum Sacram Congregationem indulgentiæ, sacrisque reliquis præpositam, indulgentias, aut revocatas, aut falsas, & apocryphas detegere, atque prohibere, ut quæ veræ sunt, à fidelibus dignoscantur, & circumspicere prospicere, ut omnis in re tam sacra turpis quæstus prorsus eliminetur.

Mature itaque perbrevi summario quoddam indulgentiarum, quod inscribitur: Breve summario delle principali grazie, & indulgentie concesse alli Religiosi del' Ordine della SS. Trinità della redenzione degli schiavi christiani, delle quali godono tutti quelli, che portano il scapulario, ovvero abitino, & visiteranno le chiese, & capelle di detto ordine, le quali indulgentie sono state approvate da' Sommi Pontefici, & di nuovo dalla sel. mem. di Papa Innocentio XII. come si vede nella bolla spedita l' an. 1693. Et incipit: Saranno privi di guadagnare le predette indulgentie, impresso Neapoli an. 1716. in quo summario, nedum quamplurimæ indulgentiæ falsæ continentur, verum etiam contra apostolica decreta pro earundem indulgentiarum assensione præcunte solutio præscribitur. Sacra eadem Congregatio die 20. Decemb. ann. 1718. dicti summarii Neapoli, ut supra, impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub penis in indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando, nullis aliis indulgentiis frui posse confraternitates erectas, seu imposterum erigendas sub titulo Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum, nisi illis, quæ habentur in summario aliàs Romæ impresso, & ab eadem Sacra Congregatione approbato die 31. Januarii 1675.

Quibus per Secretarium Sanctissimo Domino nostro relatis Sanctitas sua sententiam Sacre Congregat. approbavit. Datum die 22. Decembris 1718. Ferrar. Bibliothec. Tom. V.

J. D. C. Parraccianus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM

Quo duo summaria typis impressa, ut continentia nonnullas indulgentias falsas, apocryphas, aut ab apostolica sede revocatas, prohibentur, eorumque usus interdicitur.

Cum Sacra Congreg. indulgentiæ, sacrisque reliquis præposita, re mature pensata deprehenderit, nonnullas indulgentias falsas, apocryphas, aut ab apostolica sede revocatas contineri in libello impresso per Carolum Josephum Astorium anno 1712. Papæ & Laude Pompejæ, cui titulus: Compendio della regola del terz' ordine de' penitenti del Serafico Padre S. Francesco confermata da Papa Niccolò IV. nuovamente per comodità de' terziarj, & terziarie, che oggidì si trovano sotto la protezione del medesimo Santo Padre ristampato ad istanza delli fratelli, & sorelle di dett' Ordine, ereto nell' insigne chiesa di S. Francesco di questa città di lodi con l' aggiunta d' una breve notizia delle indulgentie, favori, & privilegi più conspicui concessi da' Sommi Pontefici a quest' Ordine, & in quodam summario indulgentiarum edito Ulysipone ann. 1681. typis Antonii Graesbeech de Melo, quod inscribitur: Summario de thesuro celestial das indulgentias, gratias, facultades, & privilegios concedidos per maytos Romanos Ponteficos a osagrada, & apostolico hospital de Santo Spirito em ssaxis cidade de Roma, confirmadas ora novamente pelo Sanctissimo Papa Gregor. XIII. nosso Senhor, quæ se concedem pelos Commissarios, Collocatores, Deputados por este Santo Officio a todos os cada hum dos fieis christaos, que quizerem entrarna sanctissima confraria de casa, & hospital de nossa Senhora da Victoria desta cidade de Lisboa. Eadem Sacra Congregat. die 29. Januar. anni 1720. censuit, libellum supra enunciatum, prædictumque summarium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub penis in indice librorum prohibitorum contentis. Quam Sacre Congr. sententiam per me Secretarium Sanctissimo D. N. relatum Sanctitas sua approbavit die 21. ejusdem mensis. Datum 14. Februar. 1720. J. D. C. Parraccianus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM

Quo statuitur, ut pro aggregationibus Archiconfraternitatis almae Urbis, seu potius pro illarum expensis, nihil ultra unum scutum aureum recipi valeat.

At tollendos nonnullos abusos, qui in expediendis literis patentibus aggregationum Archiconfraternitatis almae Urbis retro actis temporibus irreperunt, Sacra Congregatio indulgentiarum decreto edito die 6. Martii 1608. approbante san. mem. Paulo V. statuit atque decrevit, ut pro expeditione prædictarum literarum aggregationum, sed potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, Secretarij, Notariique labore, vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque nihil omnino ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, institutione, vel confirmatione, quovis prætextu, aut colore, etiam meræ elemosynæ exigi, aut recipi valeat, sub pena ipso facto incurrendæ nullitatis aggregationis, omniumque indulgentiarum, & spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum cum privatione etiam facultatis aggregandi, & privatione pariter officiorum, & inhabilitate ad eadem officia imposterum obtinenda pro ministris, superioribus, officialibus, aliisque contra prædictum decretum facere præsumentibus, quæ à nullo alio, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravius penis arbitrio ejusdem Romani Pontificis pro tempore existens imponendis. Ne autem longo temporis decursu prædicti decreti

oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, Sac. Congreg. indulgentiis, sacrisque reliquis præposita, habita die 9. Apr. 1720. decrevit, atque mandavit singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis, & Archiconfraternitatibus, eorumque superioribus, ministris, atque officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut pro expediendis literis patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscumque nihil ultra unum scutum aureum sub quovis prætextu, aut quæstio colore, etiam à sponte dantibus, aut titulo elemosynæ recipere audeant, aut recipi permittant sub lisdem poenis contentis in supra memorato decreto edito die 6. Martii 1608. ne confraternitates aggregandæ sumptibus nimium graventur, & ut omnes intelligent, cœlestes ecclesiæ thesauros non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem fidelium excitandam ex apostolica sedis benignitate aperiri. Quibus per me Secretarium Sanctissimum Domino nostro Clementi XI. relatis, Sanctissimus Dominus noster Gregorius XIV. approbavit, & in omnibus executioni mandati jussit. — Datum die 20. April. 1720. — J. D. C. Parraccianus. — Raphael Cosmus de Hieronymis Secret. Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum decretum, & publicatum fuit ad valvas Curie Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Josephum Badialem Apert. Curs. — Jo: Triphellius Mag. Curs.

Ut omnis tollatur occasio evulgandi indulgentias falsas, seu apocryphas, debent Episcopi, antequam eas permittant, diligentissime, & accuratissime examinare, cum ad ipsos private spectet recognitio brevium indulgentiarum, quæ de novo per Papam conceduntur. Nec alius sine eorum licentia, vel auctoritate potest illa breviter, seu illas indulgentias publicare, non obstante quacumque exemptione, & præterita consuetudine in contrarium, etiamsi pro Regularium ecclesiis concedantur, ut Sac. Congr. Concil. cap. 9. sess. 21. de reformat. decretum fuit apud Monacell. tom. 2. tit. 16. formul. 6. num. 8. & in una Sancti Severini 30. Maji 1699. & 4. Febr. 1702. apud Petram 1. 5. comment. ad const. 4. Calisti III. num. 96. & ita declaravit quoque Sac. Cong. Immunit. in Firmana 10. Julii 1703. lib. 3. decret. Vallem. pag. 494. his verbis: Quoad consuetudinem assertam immemorabilem in civitate Firmi, & aliorum in Piceno publicandi per Magistratum laicum breviter indulgentiarum absque licentia, seu participatione tribunalis ecclesiastici, Sac. Congreg. decrevit, ministros laicos, quoad præteritum non esse amplius molestandos, sed quoad futurum non licere sine licentia Ordinariorum, & omnino abstinere. Sic apud D. Petrum Andr. Riccius in sua synopsi decret. Sac. Congreg. Immunit. verb. Indulgentia: quod decretum citat etiam Monacell. l. c. n. 8. (Vid. add. hisp. verb. Confraternitas art. 1. n. 8. & lit. D pag. 34. in fin. col. 2.)

ARTICULUS V.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt indulgentias concessas tribus Ordinibus S. P. N. Francisci, eorumque ecclesiis, beneficioribus, & confraternitatibus chordigerorum.

SUMMARIUM.

- 1. **Sacrosancti** Sanctissimi Sacramenti indulgentia: an sit revocata confirmata advertitur: cur ipsa nomen accepit: quomodo lucratur: orationes brachii extensis an dicenda: quot indulgentie stationum Urbis, & Terræ Sanctæ: cum quibus aliis possint obtineri, ad num. 9.
- 2. **A quibus** per coronam B. M. V. D. N. JeraChristi, septem psalmos penitentiales, & graduales, officium defunctorum, alioque psalmos plenaria lucratur indulgentia, & cui applicari queat, ad num. 15.
- 3. **Quos** indulgentias extra prædictas fratres minores, & moniales consequantur: quas fratres & sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, ad n. 28.

- 29. **Quibus** fruatur Chordigeri: an lucratur Regularibus concessa: indulgentia beneficioribus Ordinibus Seraphici permixta signatur: cum habitu franciscano sepulchri plenaria obtinent, ad n. 43.
- 30. **In specialibus** festiuitatibus assignantur indulgentie ecclesiis nostris concessæ, & que lucrantur fideles, assistentes officii divinitus, & visitantes ecclesiam fratrum minorum: qui in eis faciunt missas celebrare, audientes conciones, ad num. 48.
- 31. **De indulgentia** Portuncule asinatensis ex integro tractatur, ad num. 57.
- 32. **A quibus** lucratur concessæ viam crucis obeuntibus: varie constitutiones adducuntur: encyclica litera Superioris generalis, & breve D. Benedicti XIV. subsequuntur, ad num. 62.
- 33. **Aliæ** recententur: personæ trium ordinum quoties, & quando possint in quatuor mortis absoluti, & plenariam remissionem consequi: alia tempora, quibus hoc lucrum possit obtineri, præfinitur: communicatio indulgentiarum inter Regulares, quomodo intelligitur: referuntur alii casus quibus eadem indulgentia a fratribus de Observantia lucratur, ad n. 78.
- 34. **Inseruntur** Auctoris supplementa, ad n. 85.

**Leo X.** Summus Pontifex concessit omnibus fratribus minoribus Regularibus Observantia, ac Monialibus Sanctæ Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinque Patres cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri ad intentionem Pontificis, & aliud Patris, & Ave Maria, & Gloria Patri pro indulgentia concedente, & lucratur indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias concessas ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, & Portuncule quacumque hora diei, vel noctis prædicta 6. Patris noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitaverint. Ita Casarubios in compendio nostrarum privilegiorum verb. Indulgentiæ stationum §. 15. P. Rodriguez in nova collatione bullarum fol. 218. num. 24. Lantusca in libro regule Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Romæ edito, & approbato a Reverendissimo P. Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magistro anno 1665. 11. Martii & Kazenberg loc. cit. num. 88. Viva in appendice indulgentiarum §. 3. ubi testatur hoc etiam haberi in compendio privilegiorum Societatis §. 13. & alii plures.

Iste indulgentia non fuerunt revocate à Paulo V. quia Paulus V. non revocavit indulgentias Regularium ecclesiis concessas, seu locales, sed solum personales, ut Sac. Congreg. declaravit 7. Septemb. 1607. apud Vivam in appendice indulgentiarum §. 1. num. 6. Nec revocavit indulgentias pro animabus purgatorii Regularibus concessas, ut idemmet Pontifex 23. Februar. 1606. testatus est, sicut ex Gobat, Pellizzario, Quintanadv. & Diana, refert Viva in cit. appendice num. 6. Nec etiam revocavit pro Regularibus indulgentias concessas pro omnibus Christianis indiscriminim, ut pro certo tenent Doctores communiter cum Gobat tractat. 4. de indulgent. part. 2. cap. 27. Kazenberg loc. cit. n. 77. Viva in cit. appendice indulgentiarum num. 6. cum Peyrino, Lezana, Quintanadv. & aliis. Unde cum prædictæ stationum indulgentia non fuerint primitus concessæ personis Regularibus; sed certis ecclesiis, & locis indiscriminim pro omnibus Christianis, & ipsarum multæ fuerint concessæ etiam pro animabus purgatorii, sequitur, quod tales indulgentiæ non fuerint revocate, & adhuc possent eas lucrari Regulares privilegiati; siquidem in hoc casu Summus Pontifex solum dispensavit in modo lucrandi prædictas indulgentias, videlicet, ut prædictæ personæ absque eo quod se Hierosolymam, Romam, Compostellam, & Portiunculam conferrent, ibidem personaliter ecclesias, seu loca visitarent, præfatas indulgentias lucrari possent visitando proprias ecclesias, & ibi recitando prædicta 6. Patris noster, Ave Maria, & Gloria Patri, sicut Romæ etiam seculares lucrantur indulgentias visitantes ecclesias stationum. Hinc cum hujusmodi concessio non sit revera indulgentia, eo quod solum spectet ad modum

lucranda indulgentias; ideo in revocatione illa indulgentiarum facta à Paulo V. non intelligitur revocatum hoc indultum, atque adeo tales indulgentiæ possunt adhuc obtineri à Regularibus privilegiatis; Lantusca loc. cit. Kazenberg loc. cit. num. 88. Fr. Joannes à Conceptione cap. 6. P. Antonius Natalis in celestibus aurifodinis cap. 6. n. 43. Rodriguez iii. 2. quæst. 84. art. 7. Viva in cit. appendice indulgent. §. 1. sub num. 6. & §. 13. verb. Leo X. & alii passim.

Hoc authentice confirmatur ex rubricis particularibus nostri breviarii Franciscani novissimi confirmatis ab Innocent. XII. quæ num. 88. sic habent: Circa stationem Sanctissimi Sacramenti ex sex Patris noster, & Ave Maria cum totidem Gloria Patri &c. coalescentem quotidie, & præsertim die Sabbathi, observandum est statutum Julii III. cap. 5. sic dicitur: in omnibus etiam conventibus statim post Ave Maria, fratres omnes ad ecclesias vadant, & ante Sanctissimum Sacramentum dicant brachii extensis sex Patris noster, & totidem Ave Maria, & Gloria Patri ultimum pro eodem Sanctissimo D. N. Papa, pro lucranda indulgentia plenaria, & num. 89. cui statuto cononat omnino aliud hujus tenoris: & quia indulgentia stationis Sanctissimi Sacramenti revocata non sunt, (ipsius recitatio quotidiana omnibus tam fratribus, quam monialibus, & tertiaris secularibus enixe commendatur) quod adest insertum, & specificè confirmatum in brevi, cujus initium: Debitum Pastoralis à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XII. die 29. Maji 1694. benigne concessit Hyucusque rubrica nostri Franciscani breviarii numer. 88. & 89.

Unde ista indulgentia obtinuit nomenclaturam stationis Sanctissimi Sacramenti, quia acquiritur recitando prædicta sex Patris noster, Ave Maria, & Gloria Patri ante venerabile altaris Sacramentum juxta adductas rubricas, & primam concessionem Leonis X. apud Casarubios, in compendio privilegiorum verb. Indulgentiæ stationum num. 11. ibi: Coram Sacramento altaris, & juxta concessionem Pauli V. ab Urbano VIII. confirmatam apud Hieronymum Rodriguez in compendio resolution. 47. Quintanadv. in appendice tract. 4. dub. 2. n. 7. Antonium à Spiritu Sancto num. 22. Antonium Natalis loc. cit. cap. 9. Vivam in cit. appendice indulgent. §. 3. vers. Leo X. & alios passim.

Potest tamen adhuc secundum plurimos non spernendos Doctores acquiri talis cumulus indulgentiarum à Regularibus privilegiatis, etiamsi prædicta sex Patris noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitent extra ecclesiam in propriis cellis, & in quocumque alio loco, quacumque hora diei, vel noctis, ut concessit Leo X. apud Casarubios loc. cit. num. 15. ibi: Idem Leo concessit omnibus fratribus minoribus Regularis Observantia, ac Monialibus Sanctæ Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinque Patres noster cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate sua unum Patris noster cum Ave Maria, similiter cum Gloria Patri, lucratur stationem, indulgentiam, & remissiones tam Urbis, quam etiam Portuncule, sive Jerusalem, ac Sancti Jacobi in Compostella, & quod quacumque hora diei, vel noctis, & quocumque in loco dicant, scilicet choro, ecclesia, claustris, oratorio, ac cella, lucratur illas. Et quod tales indulgentias lucratur quotidie Regulares privilegiati, ubicumque recitent dictas orationes, referunt de novo id concessisse etiam Paulum III. Summum Pontificem Rodriguez tom. 2. quæst. 84. art. 7. & ex ipso Viva loc. cit. §. 1. num. 6. & §. 3. vers. Leo X. & hoc tenent plurimi alii, & passim scribentes in regula tertii Ordinis plurimos in locis, etiam de recenti impressa dicentes, quod qui recitant supradictas orationes ante Sanctissimum altaris Sacramentum lucrantur indulgentias supradictarum stationum ex tribus concessionibus, scilicet Leonis X. Pauli III. & Urbani VIII. Qui vero illas recitant in aliis locis, lucrantur tales indulgentias, ex duabus concessionibus, scilicet Leonis X. & Pauli III. Nec ad ipsas indulgentias lucrandas requiritur modo, ut prædicta sex Patris noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitentur

brachiis extensis, ut ex multis notat Killianus Kazenberg loc. cit. num. 90.

Quot autem, & quam maximè sint indulgentie stationum Urbis, habes supra articulo antecedenti num. 17. & P. Antonius Natalis in suo purgatorio cap. 9. reflat, secutus à Viva in cit. appendice indulgentiarum §. 1. num. 8. dicit, indulgentias plenarias Romæ variis ecclesiis concessas, esse quotidie ad minimum octo & triginta, easque per modum suffragii applicabiles pro defunctis: ac præterea extraordinarias esse singulis mensibus plurimas alias, nempe mense Jan. 6. Febr. 41. Martii 55. Apr. 24. Maji 44. Junii 22. Julii 52. August. 145. Sept. 58. Oct. 3. Nov. 59. Dec. 103. Non plenariæ vero sunt innumerabiles, eoque pariter per modum suffragii pro defunctis applicabiles; & P. Natalis loc. cit. recenset plurimas quotidianas, & quas solum recenset, ascendunt ad bis centum, ac ter mille nonagenos tres annos, ac centum septuaginta millia sexcentum quadragenarum, & undecies habetur remissio tertie partis peccatorum, sic ex ipso Viva loc. cit. num. 8.

Indulgentiæ Terræ Sanctæ, tum plenariæ, tum non plenariæ recensentur in Familiari Regularium à P. Fr. Josepho à Neapoli edito Neapoli 1706. ubi fol. 319. tenore sequenti referuntur.

- Indulgentia plenaria Terræ Sanctæ.
- » In ecclesia S. Sepulchri, ubi Dominus noster Jesus Christus triduo jacuit, est indulg. liberationis unius anime à peccata & culpa.
- » In loco ubi fuit inventa crux Dominica una cum clavis, quibus in illa fuit confixus, est indulg. plenaria.
- » In domo Pilati, ubi Dominus noster fuit flagellatus, & spinis coronatus, ac morti adjudicatus, est indulgentia plenaria.
- » In domo Herodis, ubi Christus fuit illusus, & veste alba indutus, est indulgentia plenaria.
- » In ecclesia S. Annæ, ubi nata est B. Virgo Maria, indulgentia plenaria.
- » In templo ubi ead. B. Virgo fuit præsentata, & postea desponsata, est indulg. plenaria.
- » In porta, quæ denominatur aurea, per quam Christus ingressus est Dominica Palmarum, indulg. plenaria.
- » In ecclesia, ubi est sepulchrum B. Virg. in quo aliquamdiu jacuit, indulgentia plenaria.
- » In ecclesia, quæ est in loco, ex quo Christus ascendit visibiliter in cœlum, indulgentia plenaria.
- » In ecclesia, ubi antiquitus fuit domus habitacionis B. Virginis, indulgentia plenaria.
- » In ecclesia ubi juxta præsepe natus est Salvator mundi, indulgentia plenaria.
- » In conaculo, ubi fuit institutum Sacramentum Altaris &c. indulgentia plenaria.
- » In monte Calvario, ubi Christus crucifixus est, indulgentia plenaria.
- » In Bethania, ubi est sepulchrum Lazari, à quo fuit resuscitatus per Christum, indulgentia plenaria.
- » In monte, seu deserto, in quo Christus jejunavit quadraginta diebus, indulgentia plenaria.
- » Apud fluvium Jordanis in loco, ubi Christus baptizatus est, indulgentia plenaria.
- » In Nazareth in loco, ubi fuit salutata ab Angelo B. Virgo, indulgentia plenaria.
- » In ecclesia, ubi fuit domus S. Elisabeth, & ubi natus est S. Joannes Baptista, indulgentia plenaria.
- » In loco, ubi Christus parvulus natus, & pannis mundis involutus est, indulgentia plenaria.
- » In altari, ubi Christus fuit circumcissus, indulgentia plenaria.
- » In monte Thabor, ubi Christus transfiguratus est, indulgentia plenaria.
- » Infra ecclesiam montis Sion, ubi sunt sepulchra Regum Juda, & aliorum Prophetarum, indulg. plenaria.

Ultra supradictas plenarias indulgentias, sunt multe aliæ indulg. annorum, & quadragenarum in diversis locis Terræ Sanctæ, & primo in Jerusalem.

» In introitu civitatis Jerusalem consequuntur pere-

grini, qui ingrediuntur per portam civitatis, quadraginta annos, & totidem quadragenarum remissionis.

In orto, ubi Dominus post resurrectionem apparuit Magdalene in specie hortulani, sunt sexcenti anni & totidem quadragenarum remissionis.

In loco, ubi itidem Dominus apparuit post resurrectionem suae matri, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Ubi fuit super vestem Christi missa sors, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In domo Annae, ubi fuit alaphizatus Christus, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Item in loco, ubi angariaverunt Simonem Cirenaeum, ut portaret crucem Christi, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In quodam loco, ubi Dominus Jesus praedicabat, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In coenaculo, ubi Dominus lavit pedes Discipulorum suorum, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Ibidem in loco, ubi post resurrectionem intravit januis clausis, & apparuit Apostolis, sunt etiam septem anni, & totidem quadragenarum indulgentiarum.

In via, ubi apparuit Dominus tribus Mariis redeuntibus a sepulcro, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In loco, ubi Dominus conversus ad mulieres lamentantes super eum dixit: *nolite flere super me*: sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In loco, ubi dicitur psalmus B. Virginis, ubi videns Christum bajulantem crucem cecidit velat mortua, sunt etiam septem anni, & totidem quadragenarum.

Ibidem in loco, ubi sunt duae petrae albae, super quas sedit Christus lassatus ex pondere crucis, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In torrente Cedron, ubi erat lignum ex quo facta fuit crux, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In orto, ubi oravit tribus vicibus, & sudavit sanguinem, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In loco, ubi Dominus illuminavit caecum, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In domo Simeonis, qui accipiens Christum in ulnis dixit: *Nunc dimittis servum tuum &c.* sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In agro empto ex pretio sanguinis Christi, qui dicitur *Acelama*, sunt septem anni, & septem quadragenarum. Alias triginta anni, & totidem quadragenarum.

In ecclesia, quae fuit domus in qua habitavit B. Virgo post ascensionem Christi, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In capella, ubi S. Joannes Evangelista celebravit missam B. Virginis post ascensionem filii sui, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In Oratorio, ubi B. Virgo faciebat orationem, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Item in loco, qui appellatur *palmam B. Virginis*, sunt 40. anni, & 40. quadragenarum.

Item in loco, ubi Judaei voluerunt arguere Christum propter sua opera, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Juxta lapidem quemdam ubi fertur, quod Dominus sanavit multos infirmos, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In specu subterranea, ubi Petrus post trinam negationem fecit poenitentiam, sunt indulgentiae quadraginta annorum, & totidem quadragenarum.

In turri David, quae fertur se inclinasse Christo ab ea descendenti, sunt decem anni, & totidem quadragenarum.

In loco, ubi decollatus est Jacobus Zebedaeus, sunt 30. anni, & totidem quadragenarum.

Secundo apud civitatem Bethleem sunt sequentes.

In domo, ubi tres Magi Orientales invenerunt, & adoraverunt Christum puerum, sunt septem anni, & totidem quadragenarum remissionis.

In loco, ubi disparuit eis stella, quam viderant in

Oriente, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In quadam capella ubi sunt sepulcra SS. Innocentium, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Item in quadam ecclesia intitulata B. Virginis, ubi Angeli ei apparuerunt, & insinuaverunt viam Aegypti, ut illuc fugeret cum puero suo Jesu, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In loco ubi Angeli apparuerunt pastoribus, & cecernerunt *Gloria in excelsis Deo*, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Tertio apud Bethaniam sunt istae paucae.

In domo Simonis Pharisaei, ubi Christus pepercit Magdalene sua peccata, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In domo, ubi ante sex dies Paschae fecerunt ei cenam, & Magdalena attulit alabastrum unguenti, & cetera, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In domo S. Marthae sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In domo Magdalene totidem.

Quarto in monte Oliveti, & circumcirca reperiuntur sequentes.

Apud Bethphage, ubi Dominus ascendit super asinum in die palmarum, sunt quindecim anni, & totidem quadragenarum.

In via, seu loco ubi Dominus videns civitatem Jerusalem flevit super eam, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In loco, ubi Angelus presentavit Virgini palmam ante suam mortem, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Ibidem in viculo Bethphage, ubi Apostoli composuerunt symbolum, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Item in loco, ubi Dominus docuit Apostolos orare, & composuit Pater noster, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Quinto in vallibus Josaphat, & Siloe, habentur infrascriptae.

In loco, ubi Dominus fuit captus, & ligatus in nocte passionis, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In loco, ubi S. Stephanus fuit lapidatus, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In loco, ubi fuit sepultus idem S. Stephanus a Gamaliele, sunt totidem anni, & quadragenarum.

In loco, ubi Dominus in nocte passionis dimisit octo discipulos, & assumpsit tres, scilicet Petrum &c. sunt etiam septem anni, & totidem quadragenarum.

In valle Siloe dicitur esse quidam fons, in quo B. Virgo lavabat pannos pueri Jesu, quando cum eo existente parvulo ascendebat in Jerusalem ad templum, & ibi sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In natatoria Siloe, quo misit Christus caecum, ut lavaretur, & illuminaretur, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Sexto apud civitatem Nazareth sunt haec.

In domo S. Joachim patris B. Virginis, ubi est quoddam monasterium, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Juxta fontem, ex quo fertur, quod Jesus Dominus noster, cum esset parvulus, deferrebar aquam Matris suae, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

Item in domo, ubi dicitur fuisse schola, in qua B. Virgo didicit literas, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In domo ubi nati sunt Jacobus major, & Joannes Evangelista, sunt decem anni, & 30. quadragenarum.

Septimo in Montanis Judae sunt istae.

In domo Zachariae patris Joannis Baptistae, ubi B. Virgo salutavit Elisabeth, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Item ibidem, ubi dixit Zacharias: *Joannes est nomen ejus*, & composuit canticum *Benedictus*, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

In eisdem Montanis ultra fluvium Jordanis est quoddam monasterium, ubi est quadam pars crucis Christi, & sunt etiam septem anni, totidemque quadragenarum indulgentiarum.

Ibidem est aliud monasterium S. Joannis Baptistae, ubi septem anni, & totidem quadragenarum.

In deserto, ubi S. Joannes fecit poenitentiam, sunt septem anni, & totidem quadragenarum remissionis.

Octavo apud vallem Hebron, sunt sequentes.

In campo Damasceno, ubi ex limo terrae formavit Deus primum hominem, dicuntur esse decem anni, & quindecim quadragenarum indulgentiarum.

In loco, ubi sepultus est Adam primus homo, sunt septem anni, & totidem quadragenarum.

In eadem valle in spelunca, ubi sepulti sunt Abraham, Isaac, & Jacob, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Ubi dicitur nata fuisse arbor crucis, sunt viginti anni, & totidem quadragenarum.

In monte, quo Diabolus tentans Christum, duxit eum in locum excelsum &c. sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Nona apud Galileam.

In loco Galilaeae, ubi Dominus complens promissum suum apparuit Apostolis, sunt septem anni, & septem quadragenarum.

Defensio Brusavi Vic. Gen.

Omnes supradictae indulgentiae non plenarie cum aliis non plenariis Compostellae, & Portuiculae pluries eodem die obtineri possunt, si pluries iterum recitatio dictarum orationum, scilicet *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Gloria Patri* &c. Idemque dicendum est de supradictis plenariis cum aliis plenariis Compostellae, & Portuiculae quatenus pro defunctis applicabiles. Et ratio est, quia decretum Innocentii XI. incipit. *Delatae sunt*: adductum *supra art. antecedenti* num. 15. quo sancitur: neminem lucrari posse pluries eodem die plenariam indulgentiam, cum non exprimat indulgentias pro defunctis applicabiles, non videtur eas comprehendere; nam sicut in concessione alicujus indulgentiae non intelligitur, quod ea sit pro defunctis applicabilis, nisi exprimitur, ut communiter docent Doctores cum *Lezana verb.* Indulgentia num. 24. *Suarez disp.* 53. *sect.* 1. *Viva loc. cit.* §. 1. *sub num.* 8. *Molles.* & aliis ex D. Thoma in 3. *dist.* 25. *quest.* 3. *art.* 3. *questionum.* 2. ita et fortiori in revocatione indulgentiarum non intelliguntur ille revocatae pro defunctis, nisi etiam exprimat, ut patet ex revocatione facta a Paulo V. in citat. constit. incip. *Romanum Pontificem*: ubi, ex quo non expressit se revocare etiam indulgentias defunctis applicabiles, ipsemet *sub die* 23. *Febr.* 1609. ut diximus *supra* num. 2. testatus est, non revocasse illas indulgentias, quae pro defunctis poterant a Regularibus applicari.

Frater, & sorores de ordine Minorum, & consequenter Tertiarii, & Chordigeri recitando coronam B. M. Virginis ex *70. Ave Maria* & *17. Pater noster*, cum adducit *uno Pater* & *Ave* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam sibi in primis concessam a Leone X. quam Paulus V. post generalem indulgentiarum Regularibus concessam revocationem, de novo concessit 8. *Junii* 1608. ad instantiam P. Ludovici a S. Joanne Evangelista Commissario generali ultramontanae familiae minorum de observantia, ut referunt *Lantusch. in Theatr. Regular. verb.* Indulgentia num. 3. *Kazenber-*

get loc. cit. num. 91. *Portell. Sbogar. Sanig. Peyrin. Rodriguez, Bordon. Quintanadven.* & alii passim; & demum confirmavit Innocentius XI. Quod certum esse patet ex rubricis particularibus nostri brevissimi franciscani novissimi confirmatis ab Innocentio XII. quae n. 90. ita habent: *Sabbato praesertim, & singulis aliis hebdomadae diebus praesertim recitanda est a nostratibus ex devotione corona Beatae Virginis Mariae Dominae nostrae approbata a san. mem. Leone X. in brevi: Exponi nobis die 14. Septemb. 1517. concesso, & per aliud ejusdem Pontificis breve quod incipit: Dum praeeccelsa, die 19. Junii 1515. ea indulgentia decorata, quam Paulus V. post generalem indulgentiarum revocationem benigne innovavit, & recol. mem. Innocentius XI. per suas etiam in forma brevis litteras similiter incipientes: Exponi nobis, die 15. Maji 1688. firmam esse voluit, atque sancivit.*

Item fratres Minores, & alii Regulares ex concessione Julii II. & Leonis X. quoties recitant coronam D. N. Jesu Christi ex *triginta tribus Pater*, & *totidem Ave Maria* in honorem annorum, quibus inter mortales vixit Christus Dominus, aut septem *Psalm. Penitentiales*, aut *Graduales*, aut *Officium defunctorum* lucrantur indulgentiam plenariam pro animabus purgatorii. Et Leo X. pariter pro hac corona concessit minoribus plenariam sibi ipsis applicandam; quam tamen Paulus V. revocavit. Sed Peyrinus, Rodriguez, Bordon. q. 2. n. 181. & Quintanadven. in *append. & jubili. tom. 4. dub. 4. num. 7.* cum *Viva* in *append. indulgentiarum passim acquisibilium* §. 3. asserunt illam Minoribus ab eodem Paulo V. restitutam esse. Unde ab omnibus privilegiatis Regularibus acquiri poterit. Et hanc plenariam indulgentiam aegroti, & senes decrepiti obtinent, si pro ea recitent unum psalmum, vel hymnum Beatae Virginis, vel Domini nostri ex concessione Leonis X. apud Casarub. in *compend. privileg. vel indulgentia quoad fratres*, num. 13. Et sic tenent supracitati Doctores, & alii plures. Immo Portell. de Rosignibus in templo Salomonis apud P. Antonium Natalem *cap. 9.* testatur illam omnibus Christi fidelibus concessisse eundem Paulum V. ut constat ex authenticis Romae impressis anno 1609. Sic expresse sapientissimus P. Viva *loc. cit.*

Frater Minores, Clarisse, & Tertiarii possunt applicare per modum suffragii omnes indulgentias, & opera meritoria animabus purgatorii ex concessione Gregorii XV. per suum breve *sub die* 10. *Novemb.* 1622. Sa- cerdotes fratrum Minorum ex concessione Leonis X. celebrando tres missas in altari sibi assignato a suis superioribus liberant animam suorum parentum in primo, secundo, & tertio gradu a poenis purgatorii, sicuti si celebrarent super altare S. Gregorii, & S. Sebastiani Romae; sic refert Peyrin. in *constit.* 8. *Pauli V. n. 6. pag.* 252. & alii. Fratres Minores Sacerdotes ex concessione Innocentii VIII. celebrando diebus Dominicis, & solemnitatibus D. N. Jesu Christi, & B. V. Mariae, & illi, qui non sunt Sacerdotes, quoties communica-verint, lucrantur indulgentiam plenariam pro defunctis; sed non pro se ipsis, cum fuerit revocata a Paulo V. sic refert Peyrin. in *cit. constit.* 8. §. 9. n. 8. *pag.* 252. & alii. Fratres Minores, alique Regulares ex concessione Clementis VIII. in casu mortis alicujus ipsorum, aut patris, aut matris, aut alicujus habentis filiantiam, seu suffragia, aut soliti in domo sua hospitare fratres, possunt unica missa per modum suffragii ipsum liberare a poenis purgatorii; sic refert Peyrinus in *constit.* 6. *Clementis VIII. num.* 2. *pag.* 234. & alii.

Frater Minores Regularis observantiae docentes doctrinam christianam, & eisdem in hoc pio opere cooperantes, lucrantur eximias indulgentias concessas ab Innocentio XI. 30. *Maji* 1680. constitutione incipit. *Pictatis*: quae, ut ab omnibus praeculis habeatur, hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pictatis, ac christianae charitatis opera ubique loco- rum

rum cum divini cultus incremento, exerceri cupientes, Christifideles quoscumque præsertim sub suavi religionis jugo, altissimo famulantes, & ut ad illa exercenda promptiores reddantur, indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, prout ad christianam religionem propagandam, & animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii fratres Ordinis Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum, inter pia, quæ exercent, opera, etiam adultos, & pueros quoscumque per universum christianum orbem catholicæ fidei rudimenta, & christianas virtutes omnes recte doceant: Nos pro nostri pastoralis officii munere, hoc ipsum, christianæque reipublicæ necessarium opus, ex quo hæc uberrimi fructus provenire, ac multo uberior post ex eo quoque proveniunt speramus, confovere volentes, ut eorundem fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotenti Dei misericordia, ac B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus etiam dilecti filii Francisci Diaz à S. Bonaventura Commissarii generalis Curie pro Ultramontana familia dicti Ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnibus, & singulis dicti Ordinis fratribus, & aliis universis Christifidelibus, ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque doctrinam christianam juxta decreta Concil. Trident. docere, vel eidem (cum docent) interesse consequerint, si vere penitentes, ac confessi SS. Eucharistiæ Sacramento die festo, (ab iisdem Ordinariis, in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno) designando, refecti fuerint, plenariam: nec non ipsi (qui vere similiter penitentes, & confessi, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Jesu, saltem corde in mortis articulo devote invocaverint) similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter vere penitentes, & confessi, semel quolibet mense SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, septem annos, & tot quadragenas: Qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ doctrinam christianam frequentent, & qui diebus stationum almæ urbis nostræ, hanc doctrinam in ecclesiis, aut oratoris de Ordinariis licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eandem discendam accesserint, eandem indulgentiam consequantur, quas consequuntur, & consequi possent, si ecclesias stationum ejusdem urbis personaliter visitarent: eandem etiam indulgentiam Visitatores scholarum doctrinæ hujusmodi (qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt) consequantur, si peccata sua confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint. Insuper iis, qui diebus feriatis doctrinam christianam, aut publice, aut privatim explanaverint, centum dies, nec non omnibus, & singulis præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos; & qui diebus feriatis in propriis scholis eandem doctrinam explicaverint, aut collationes fecerint (licet illo die non intervenerint) in aliqua schola dicendi causa, septem annos: Omnibus, & singulis patribus, & matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam similiter explicaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies: Item iis, qui per civitates, terras, & alia loca viros, mulieres, aut pueros ad discendam eandem doctrinam christianam docendi causa convocando circumjierint, septem annos; ac etiam, qui extra civitatem ad illam docendam per castra, & villas exeunt, decem annos: Omnibus etiam Christifidelibus (qui per mediam horam doctrinæ prædictæ, aut discendi, aut docendi causa studuerint, aut eidem interfuerint) centum dies. Eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties

id fecerint, ducentos dies de injunctis iis, seu aliis quomodolibet per eos debitis penitentiis, in forma ecclesiæ consuetæ relaxamus. Præsertim futuris temporibus valituris: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut (si aliquæ aliæ indulgentiæ prædictis fratribus præmissa agentibus à Nobis, vel prædecessoribus nostris, ad tempus nondum elapsum, vel perpetuo duraturæ concessæ fuerint) præsentibus nullæ sint; unde earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii generalis dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Ministri generalis ejusdem Ordinis vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 30. Maji 1686. Pontificatus nostri anno decimo. 17  
Fratres Minores, Moniales, tertiarum, alique confratres, & consorores quarumcumque confraternitatum, & societatum in eorum ecclesiis canonicè erectarum, & erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam centum dierum, & si saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabant operam, & confessi communicaverint pro quolibet mense, lucrantur indulgentiam plenariam etiam per modum suffragii defunctis applicabilem, sic concessit Innocent. XII. die 24. Decemb. 1690. constitut. incip. Ad eam: quæ habetur in rubricis particularibus breviiarum nostri franciscani novissimi num. 117. & 118. ut infra.

## INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuum rei memoriam.

Ad ea, per quæ animarum Christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, celestem munus largitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotenti Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Francisci Diaz à S. Bonaventura Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Definitoris generalis, necnon missionum pro familia Ultramontana dicti Ordinis Procuratoris nomine, & singulis fratribus, & monialibus, ac aliis utriusque sexus personis, ordinum, & congregationum obedientiæ, seu directioni Ministri generalis ejusdem ordinis nunc, & pro tempore subjectis, ac etiam Christifidelibus confratribus, & consorioribus quarumlibet confraternitatum, & societatum, sive sub Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis, sive sub alio quolibet titulo, seu invocatione, tam hæcenus in eorundem fratrum, & monialium ecclesiis canonicè erectarum, quam imposterum canonicè pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies: qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabant operam, & vere penitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, piæ ad Deum preces effuderint; plenariam semel quolibet mense suorum peccatorum omnium indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelibus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

Fratres Minores de observantia missi à suis superioribus de Ordinariis locorum licentia ad exercendas missiones, & omnes utriusque sexus fideles ipsorum missionibus interessentes possunt consequi apostolicam benedictionem, & indulgentiam plenariam, ut concessit In-

Innocentius XI. die 12. Martii 1688. per suum speciale breve, quod hic ad literam datum.

## INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuum rei memoriam.

Universis Christifidelibus presentes literas inspecturis salutem, &amp; apostolicam benedictionem.

Celestem munus thesaurus, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, & libenter iis impartimur, quos pro sua in Deum charitate, & christianæ religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de observantia nuncupatos habeamus, eosque imprimis, quos dilecti filii eorundem fratrum superiores ob hanc causam hoc ipso, & consequentibus annis in diversis christianæ reipublicæ provinciis mittere constituerint; Nos sane eorundem fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem spiritualibus gratis confovere, atque augere cupientes, eorumque superiorum precibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, planque illorum deliberationem, quantum cum Domino possumus promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis fratribus de observantia dicti Ordinis ad missiones in quibusvis locis de Ordinariis licentia respective exercendas in futurum mittendi (ubi tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propaganda fide) & aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram & apostolicam benedictionem per presentes impartimur; nec non iisdem vere penitentibus, & confessis, & sacra Communionem refectis, qui pro S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, hæresum extirpatione, prout unicuique suggerit devotio, piæ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino, auctoritate apostolica tenore præsentium pro unica vice dumtaxat pro unaquaque missione de Ordinariis locorum licentia respective faciendi concedimus, & enlargimur.

Hortantes venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios ecclesiarum Prelatos, Rectores, ac verbi Dei Prædicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentibus literas, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac in omnem iisdem Religiosis favorem, & auxilium in præmissis præstent, presentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obnignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima secunda Martii 1688. Pontificatus nostri anno duodecimo. 19  
F. Albanus.

Moniales Ordinis S. Clare, alique subjectæ Ordini nostro Seraphico, & generali nostro Ministro, fruuntur ipsæ, & earum ecclesiæ omnibus indulgentiis nobis, & nostris ecclesiis concessis; sic & declaravit, & concessit Innocentius XI. die 5. Sept. 1686. & approbavit Innocentius XII. anno 1695. decimo septimo Januarii, constitut. incip. Sua nobis, ut habetur in rubricis particularibus nostri breviiarum franciscani novissimi à num. 183. Immo nedom Moniales Ordini, & superiori nostro generali subjectæ, sed etiam illæ, quæ sunt sub immediata jurisdictione Episcoporum, gaudent omnibus indulgentiis, & privilegiis nobis concessis, sicut generaliter omnes Moniales à cura Regularium suorum Ordinum ad immediatam jurisdictionem Episcoporum translata, aut transferendæ, fruuntur iisdem privilegiis, ac indulgentiis, quibus ante ejusmodi translationem

fruebantur, ut non semel declaravit sacra Congregatio indulgentiis, & sacri. reliquiis præposita, & signanter, novissime sequenti decreto à Sanctissimo approbato.

## DECRETUM.

Quo declaratur, monasteria Monialium à cura Regularium suorum Ordinum ad immediatam jurisdictionem Episcoporum translata, aut transferenda iisdem privilegiis, ac indulgentiis frui debere; quibus ante ejusmodi translationem fruebantur.

Licet ab hac Sacra Congr. Indulgentiis, & sacri. reliquiis præposita non semel declaratum fuerit, nonnulla Sanctimonialium monasteria, quæ antea sub gubernio fratrum sui Ordinis debebant, per hoc quod Episcopo loci subjecta deinde fuerint, privilegia, & indulgentiis, quibus antea fruebantur, nullatenus amississe: tamen, cum sæpius alia etiam monasteria, quæ simili modo sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, idem ab apostolica sede declarari humiliter postulaverint, ut nulla imposterum dubitandi ratio supersit: eadem Sacra Congregat. re mature discussa die 20. Aprilis 1711. declaravit, monasteria omnia Sanctimonialium, quæ à cura & gubernio fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, & imposterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia, & indulgentias, quibus antea gaudebant, amississe, seu amissura fore, sed eodem modo cunctis prædictis privilegiis, & indulgentiis uti, & frui debere, ac si sub gubernio fratrum suorum Ordinum actu existerent. Quam Sacra Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus noster die 22. ejusdem mensis approbavit. Datum Romæ die 14. Maji 1714. — L. Cardin. Pius Præfectus. — Raphael Cosmus de Hieronymis Secr. — Ad rem addendum est sequens ejusdem Sacra Congregationis indulgentiarum decretum.

Viennæ. in Austria.

Per decreto della Sagra Congregazione dell' Indulgenze è relique 20. Aprile 1711. li monasterij di Monache, passate, è che passeranno sotto la giurisdizione degli Ordinarij, godono l' istesse indulgenze de' suoi rispettivi Ordini, e per altro decreto de 3. Dec. 1739. li monasterij delle Monache Elisabettine godono l' istesse indulgenze, li di 23. Sett. 1741. li Papa, audito prius voto ejusdem S. C. il giorno 19. dell' istesso mese, dichiarò, & quatenus opus sit, concessit, ecclesiis Monialium Clarissarum gaudere indulgentia Portiuncule noncupata die 2. Augusti per tutti li fedeli nel modo, che godono le chiese di tutti gli Ordini di S. Francesco; e finalmente 18. Mag. 1744. dichiarò, che tutte le Monache soggette agli Ordinarij godono le indulgenze de' suoi rispettivi Ordini, di cui recitano l' officio, e professano l' istituto. Et his non obstantibus, per parte delle Monache del tezz' Ordine di S. Francesco della Congregazione delle Elisabettine della città di Vienna in Austria fu proposto il seguente dubbio: An indulgentie generaliter concessæ ecclesiis fratrum pariter, & Monialium, tum in diebus festis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus, cunctis & singulis æque lucrantur. Et Sacra eadem Congregat. die 19. Augusti 1747. ad formam alterius decreti diet 23. Februarii 1673. respondit, ac declaravit, Gaudere. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacra Congregat. Secretarium die 26. ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacra Congregationis benigne approbavit. — Fr. J. Card. Portocarrero. — A. M. Erba Prot. Apost. Secret. — Cum vero pro parte Monialium Elisabethinarum præfatarum dubitatum fuerit: An ipsæ, earumque ecclesiæ præinserto favorabili decreto comprehendantur, ex eo quod licet consuetæ vota substantialia instituit & Or-

ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non divinum vigore præallegati decreti 18. Maji 1744. sed B. M. V. Officium tantummodo recitent. Et eadem Sacra Congregatio die 5. Februarii 1743. ejusmodi proposito dubio rescribendum censuit: *Consulendum Sanctissimo pro benigne declaratione.* De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacri Congregat. Secretarium die 2. mensis Martii prædicti anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacre Congregationis approbando benigne annuit, et ejusmodi declarationem, seu concessionem quibuscumque etiam reliquis monialibus instituti & ordinis S. Francisci Assisinati, etiamque ecclesiis suffragari voluit. = Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus. = A. M. Erba Proton. Apost. Secret.

Die, mense, & anno, quibus prædictum decretum confirmatum, & publicatum fuit ad vestros Curie Innocentianæ, & in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis urbis, ut moris est, per me Josephum Batalem Apost. Cur. = Sebastianus Vassellus Mag. Cur.

21 Fratres, & sorores tertii ordinis S. P. N. Francisci, qui emissis tribus substantialibus religionis votis collegialiter vivunt, gaudent omnibus indulgentiis, quibus gaudent fratres minores primi ordinis, & moniales S. Claræ, ac ceteri alii regulares, cum veri religiosi, & religiose existant, Communis, & certa. Et si prædicti tertiarum, & tertiarum subdantur nostro seraphico ordini, & nostro superiori Generali, gaudent ipsi, & eorum ecclesiarum omnibus indulgentiis, quibus gaudemus nos franciscani, & gaudent nostræ ecclesie ex cit. concessionem facta ab Innocentio XI. approbata ab Innocentio XII. in dict. constitutione incip. Sua nobis: Prædicti autem nostri tertiarum, & tertiarum in propriis domibus secularibus habitantes gaudent in primis omnibus indulgentiis regularibus in communis concessis ex concessionem Gregorii XV. constit. incip. Injuncti nobis: edita 1621. tertio nonas Junii apud Lantuscam in regularium tertiarum. Secundo ex concessionem Leonis X. Pauli V. Innocentii XI. & XII. gaudent omnibus indulgentiis nostro ordini Seraphico elargitis, modo nostræ directioni subdantur, ut patet ex verbis Innocentii XI. & XII. in cit. constit. incip. Sua nobis, quæ cum plurima continet ad rem facultia, hic ad litteram datur.

Bulla Innocentii fil. record. Pape XII. executionem litterarum apostolicarum, & communicationem privilegiorum, & indulgentiarum etiam plenarum inter ecclesias, & loca, confraternitates, congregationes, ordines, & personas utriusque sexus obedientie, vel directioni ministri generalis de observantia, & in specie indulgentiarum vite crucis, & montis calvarii concernens, anno 1695. 17. kalendas Januarii edita, & ad Archiepiscopum Valentiniæ athenalem Inquisitorem Generalem, & Nuntium Hispaniarum directa.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Salutem &c.

Sua nobis dilectus filius Fr. Franciscus Diaz à S. Bonaventura Sacrarum Congregationum indicis, Rituum, & super disciplina, seu reformatione regularium consultor, ac missionariorum diversarum provinciarum ordin. FF. minorum Sancti Francisci familiæ ultramontanæ procurator petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam à fel. record. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro litteræ in forma brevis die 5. Septembris anno Domini 1686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & indulgentiarum etiam plenarum, usque tunc non revocatarum inter ecclesias, loca, confraternitates, congregationes, ordines, & personas utriusque sexus obedientie, vel directioni ministri generalis ordinis fratrum minorum Sancti Francisci subiectas, à pluribus Romanis Pontificibus, ipsius Innocentii, & nostris etiam Prædecessoribus eisdem per diversa privilegia concessa, à qua communicatione, prout iteratis vicibus à Sede Apostolica extat declaratum, resultare dignoscitur, quod quando decoratum reperitur altare unius loci,

vel una ecclesia, aut una confraternitas, seu quævis congregatio, ordine aliquarum è dictis personis aliqua indulgentia, sive plenaria, sive non, applicabili per modum suffragii, vel non applicabili per animabus purgatorii, ad favorem earumdem tantum personarum, vel omnium simul christifidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo loco, altari, vel ecclesia confraternitatum in diebus in concessionem expressis per fecerint quod per eandem concessionem fuerit præscriptum, in omni loco, altari, vel ecclesia confraternitatum, congregationum, ordinum, & personarum præfatarum, eadem indulgentia ab omnibus respectivo acquiratur, qui iisdem diebus, easdem ibi emiserint diligentiis in concessionem taxatas. Verum sicut eadem petitio subjungebat præteritis nonnullis scrupulis, quod in præfata communicatione taxata generaliter comprehensa non veniant loca, & ecclesie Terræ Sanctæ, aliarumque partium orientis, existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quæcumque dubia, fuit nobis per parte præfati ordinis humiliter supplicatum, quatenus non essent exclusæ præmemorata loca, & ecclesie Terræ Sanctæ, & multo minùs aliarum partium orientis à communicatione mutua, & reciproca, quæ includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquuntur privilegia, & constitutiones pontificiæ præfate ad hoc, ut indulgentiæ sæpe dictæ eisdem concessæ, & usque modo non revocata, obtinerent valeant sine ullo dubio in aliis ecclesiis, altaribus, & locis piis, ac devotis spectantibus ad personas præmemoratas obedientie, vel directioni subiectas, stante quod Sanctæ Sedis mens fuit semper hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata, & à fidelibus venerata, ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalent, quod jam dictæ personæ in Dei, & sanctæ ecclesie servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate apostolica dignemur. Nos vero præfatum declarationem commisit Congregationi dilectorum fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ sub die 16. mensis Julii currentis anni, per pensis prædictis literis dicti Innocentii XI. prædecessoris nostri declaravit, prædicta loca, & ecclesie Terræ Sanctæ, aliarumque partium orientis extra Jerusalem esse comprehensa, sive comprehensas in diebus privilegii, indultus, & indulgentiis, & deinde sub die 27. ejusdem mensis sententiam prædictæ Congregationis approbavit, ut in decreto dictæ Congregationis desuper edito latius continetur.

Sed quia adhuc post prædictum decretum dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit stabilis, quod pia loca vite crucis, seu calvarie ad recolendam, seu meditandam Christi passionem à præmemoratis personis, seu ordinibus ad instar stationum calvarii montis juxta diversa etiam privilegia S. Sedis erecta, comprehensa sint in præfata mutua communicatione; eadem Congr. sub die 12. mensis Nov. mox relapsi declaravit, etiam præfata pia loca comprehendendi in sæpe dictis literis Innocentii XI. prædecessoris nostri, ac proinde frui, & gaudere posse indulgentiis, & privilegiis in eisdem literis contentis, & expressis, ac nos sententiam præmemorata Congregationis sub die 15. ejusdem mensis Nov. pariter benigne approbavimus, sicuti in decreto præfate Congregationis de supersimiliter emanato plenius continetur. Cum autem sicut dicta petitio ultra subjungebat, idem exponens pro majori tam præfatorum missionariorum, quam ceterarum personarum præmemoratarum quiete, cupiat, ut litteræ præfate, ac declarationes, & decreta à memorata Congregatione cum nostra approbatione desuper emanata, suum ubique sortiantur effectum, non obstantem forsàn sinistra interpretatione nonnullorum religiosorum aliorum ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro rescripto, ideo ne litteræ, & declarationes, ac decreta hujusmodi suo debito careant effectu, nobis humiliter supplicari feci exponens prædictum, ut ei in præmissis opportune providere de simili benignitate à postolica dignemur. Nos igitur statuimus,

merita causæ, & causarum hujusmodi presentibus pro expressis habentes, ipsumque exponem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque censuris, & penis ecclesiasticis à jure, vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innotatum existit, ad effectum presentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus inclinatis, discretioni vestræ, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur inter exemptos, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis, & aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum litterarum, ac declarationum, necnon decretorum hujusmodi, juxta illorum formam, & tenorem, prout de jure, dummodo per edictum publicum, præmissis alibi ceptum non sit, auctoritate nostra procedatis, procedite mandatis, & faciatis. Nos enim vobis, & cultibus vestrum etiam per edictum publicum, consisto de non tuto accessu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit, citandi illis, & quibus videbitur, sub sententiis, censuris, & penis inhihendis, contradicentes in illas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reagravandi, & interdicendi, auxiliisque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, necnon alia in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam, & liberam, apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1695. decimo septimo kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto.

Hæc Bulla videri potest in Brevario nostro franciscano in rubricis particularibus num. 182. & seq.

Insuper Paulus V. constituit. incip. Cum certa: Datum Romæ apud S. Petrum die 11. Martii 1607. concessit etiam sequentes indulgentias tertiaris directæ, & specificæ in propriis domibus viventibus.

Die, quod recipiunt habitum, vel chordam benedictam à superiore ordinis in memoriam S. Francisci, si contriti, & confessi Eucharistiam sumperint, indulgentiam plenariam lucrantur.

II. Eodem modo in festo primario Ordinis lucrantur indulgentiam plenariam.

III. In articulo mortis, invocato nomine Jesu, plenariam.

IV. Qui assistunt, & sequuntur processionem chordæ omni mense feri solitam, lucrantur indulgentiam 3. annorum, & totidem quadragenarum. Si autem confessi communicaverint, plenariam.

V. Qui confessi, & Sancta Communionem refecti visitaverint ecclesias fratrum minorum in festis S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Bonaventuræ, S. Claræ, lucrantur indulgentias septem annorum, & totidem quadragenarum præter indulgentias plenarias à Sixto V. concessas.

VI. Qui assistunt officio B. M. V. dum legitur in oratorio, lucrantur indulgentias 100. dierum.

VII. Qui comitantur Sanctissimum Sacramentum, dum portatur ad infirmos, lucrantur indulgentiam quinque annorum, & totidem quadragenarum.

VIII. Qui comitantur sepulchrum mortuorum, dant elemosinam pauperi, conciliant pacem inter inimicos, toties quoties pro quolibet istorum operum impetrant indulgentias 100. dierum.

IX. Conceditur, quod fratres prædicti, & sorores possint has gratias spirituales consequi, & illas applicare animabus purgatorum per modum suffragii.

Ita Killianus Kazenberger in supplemento theolog. Sacramental. Patritii Sporer cap. 3. quest. 2. §. 7. num. 106. Engelbertus Pauck in tertia seraphica vinea cap. 25. num. 112. citans etiam P. Angelum Lantuscam fol. 86. in idemate Italico.

Patres, & sorores tertii ordinis S. P. N. Francisci de paenitentia semel in mense lucrantur indulgentias 560. dierum, dum conveniunt ad Congregationem mensuatam,

& ibidem audiunt legi suam regulam, vel ejusdem explicationem. Ita concessit Clemens V. 8. Maji 1305. constitutione incip. Cum illuminatum: quæ hic ad litteram subnectitur.

CLEMENS EPISCOPUS.

Dilectis in Christo filiis, & filiabus, & fratribus, & sororibus venerabilis tertii ordinis de paenitentia, salutem, & apostolicam benedictionem.

Cum illuminatum sit cor nostrum, & illustratum Spiritu Sancto, cum effectu devoto, & pietate concedendi liberaliter & donandi cum prompta manu beneficia locis piis, & devotis personis, specialiter dilectis fratribus, & sororibus venerabilis tertii ordinis Sancti Francisci, in omni parte terrarum, ubi degunt, in quali ordine certo reperiuntur multa beneficia pro salute animarum. In respectum tanti ordinis totum mundum illuminantis, ad dicti venerabilis ordinis majorem exaltationem, & honorem, virtute presentium litterarum manifestum sit omnibus fratribus, & sororibus dicti ordinis, quod omni vice, quando conveniunt in simul saltem quoad majorem numerum, in uno deputato loco, & ibidem legitur dicta regula, vel de ista regula fiat memoria, vel mentio etiam peregrinis, & extraneis, qui non sunt de ista regula, considerando illorum merita: concedimus ex jugi fonte divinæ gratiæ 560. dierum indulgentias pro singulis, una vice in mense quando lecta erit ista regula. Datum Burdigalæ in Francia die 8. mensis Maji 1305. Pontificatus nostri anno secundo.

Hæc Breve videri potest apud P. Lantuscum idematum Italico fol. 24. de reg. 3. ordinis, & apud P. Engelbertum Pauck in 3. seraphica vinea cap. 16. num. 71.

Tertiarum utriusque sexus intra, vel extra claustra moram trahentes, qui tria vota substantialia religionis non emittunt, frui queunt indulgentiis relatis in constitutione: Dum præexalta, à Leone V. die 19. Junii 1606. promulgata per eundem Pontificem in brevi Dudum die 10. Decembris 1519. ad eosdem extensis; idemque dicendum de aliis similibus, ex decreto præmemorata Congregationis reliquis, & indulgentiis præpositæ, quo declaravit personas substantialia religionis vota non emittentes sive intra, sive extra claustra degentes, minime comprehendi in revocatione generalis indulgentiæ à Paulo V. die 23. Maji 1706. in brevi Romanus Pontifex, præscripta: Quam declarationem per breve Aliis incipiens, apostolico robore munivit san. mem. Innocentius XI. die 10. Octobris 1686. Ita habetur in rubricis particularibus nostri novissimi brevissimi franciscani num. 273. Tertiarum nostri etiam in seculo degentes, & nostræ directioni subiecti possunt uti nostro franciscano breviario. Id enim præscriptum rubricæ particulares nostri novissimi franciscani brevissimi sub num. 1. 2. 4. 21. & 22. Vide verb. Officium divinum art. 3. num. 17. & seq.

Chordigeri extimis indulgentiis fruuntur, prout apparet in constitutione Sixti V. incip. Divinæ charitatis: & const. Paul. V. incip. Nuper archiconfraternitati chordigerorum: quæ habetur ad litteram verb. Confraternitas art. 1. num. 20. & 21. Præterea chordigeri ex concessionem Gregorii XV. in brevi incipiens. Pia Christi 10. Nov. 1622. lucrari possunt etiam illas indulgentias, quas Paulus V. concessit omnibus regularibus 23. Maji 1606. constit. incip. Romanus Pontifex: adducta supra art. 4. num. 7. insuper Chordigeri lucrari possunt omnes indulgentias fratribus minoribus directæ, & in specie concessas, & non revocatas (non item alias eis per extensionem, vel communicationem quomodocumque competentes.) Ita Clemens VIII. constit. incip. Quæcumque à Sede 1604. 7. Decembris teste Lantusca in 1219. regul. verb. Confraternitas num. 4. & 5. Unde Chordigeri lucrari possunt indulgentias stationis Sanctissimi Sacramenti, indulgentias coronæ B. M. Virginis, indulgentias coronæ Domini nostri Jesu Christi, indulgentias orationis mentalis, indulgentias doctrine christiane. Ita Engelbertus Pauck in tertia seraphica vinea c. 21. num.